



Albertus filius fuit Alberti tertij Archiducis Austriae, quē cum Trica (mitt den Zopffen) uulgò cognominarunt. Is à patre in optimis literis & uirtutib. educatus, inter principes sui seculi magna auctoritate claruit. Nam post patris obitum eius ex diuisione portionem Austriae gubernandā suscepit, nimirū Austriam supra ac infra Anysim. Postea uerò etiam Carniolam & Vuynдорū marcham obtinuit. Erat is insignis architectus, pictor, ac sculptor, atq; doctorum uirorum & sacerdotū unicus eius seculi mœcenas, ita ut cum ijs subinde aliquid conferre, ac cibum capere solitus fuerit. unde aliquoties à suis proceribus eius rei causa repre-

hensus fuit. Is iuuenis adhuc existens, pro eius familiae consuetudine, in terrā sanctam profectus est. Ibi multa præclara facinora edidit, atq; Sarracenorum plurimos interfecit. quum etiam exploratus ibi à Fraciæ regis hominibus esset, qui tum Austriae hostes erant, illorum insidias pulchrè euitauit. littoreq; præter omnem spem soluens, ut hostibus illuderet, erectis uexillis ac insignibus Austriae, clangore tubarum accedente, incolumis abscessit, atq; in paternam ditionem magna cū laude redijt, anno 1392. Vnde Germani poetæ, quorum nugis tum principes delectabātur, de hoc Alberto atq; eius patruelibus Ernesto & Vuilhelmo rythmis gentilitijs mirabilia finxerunt. tanquam per cæcas uias perruptis scopulis, splendore carbunculi inuenti, in Indiam usq; penetrarint, rostratosq; homines, ac gigantū pumilionumq; exercitus uiderint.